



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**TRACTATVS|| DE CON-||FESSIONIBVS MA=||LEFICORVM ET  
SAGA-||RVM SECVNDÒ RECOGNI||tus, & auctior redditus.||  
An, & quanta fides ijs adhibenda sit?||**

**Binsfeld, Peter**

**Avgvstae Trevirorum**

**VD16 B 5530**

Quinta Conclusio. De iure non est licitum sæuire in corpus defuncti in carcere, vtpote cadauer suspendendo, aut igne consumendo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41113**

quando crimina sunt grauissima & enormia,  
quæ confessa sunt, & perpetrârunt.

*Quarta Conclusio. Qui ex intentione sibi mortem violentam inferunt in carceribus, quando ob crimen inquisiti aut accusati fuerunt, ecclesiastica iure priuantur sepultura.*

**P**ROBATVR ex text. in d. cap. Placuit. Gloss. & DD. ibidem. & vult Gloss. tales habere debere caninam sepulturam. In hac re non est dubium. Tales enim moriuntur in statu peccati mortalis, & permanent in perpetua damnatione. Vnde meritò sunt eorum corpora reiicienda è societate aliorum.

*Quinta Conclusio. De iure non est licitum seuire in corpus defuncti in carcere, utpote cadauer suspendendo, aut igne consumendo.*

**H**ANC tenent Bald. Iaso & alij in L. 2. C. Qui testamen. facere possunt. Angel. & Imol. in L. Defuncto. ff. de publ. iudic. & communiter DD. in L. Imperium. ff. de iurisdic. omnium iudic. Anton. Gomez. variar. resolut. tom. 3. cap. 1. num. 79. Menoch. de arbitrar. Iud. qq. lib. 2. cas. 285. & hæc est communis sententia, vt post alios plures Iulius Clarus lib. 5. sen.

sentent. §. fin. pract. crim. q. 51. num. 15. iudicat. Ratio communiter à DD. assignatur, quia crimen & pœna per mortem extinguitur ex d. L. defuncto. quæ communis Conclusio est, vt post Cagnol. in L. pupillam qui. §. in hæredes. ff. de regul. iuris refert Clarus in d. q. 51. num. 12. Vnde quidam ex Doctoribus reprehédunt practicam contrariã, & dicunt, assessores posse conueniri actione iniuriarum, qui corpora defunctorum faciunt suspendi, aut cremari: cum inferant iniuriam defuncto, & per consequens eius hæredibus.

*Sexta Conclusio. Quamuis de iure fieri id non possit, tamen in multis locis praxi contrarium seruat, quod in enormissimis criminibus, & grauibus maleficijs pro varietate circumstantiarum aliquando cadauera suspendantur, aut afficiantur pœna, qua reus, si morte praeventus non fuisset, punitus extitisset.*

**H**ANC tenent Bald. Decius, & Iaso in d. L. 2. C. Qui testam. fac. poss. Marfil. in L. quæstionis modum. ff. de quæst. Imol. in d. L. Defuncto, Gomez. Menoch. & alijs pluribus enumeratis Iul. Clar. locis cit. Sic Gomez. ait se vidisse praticari in ciuitate Salmaticensi, vbi quidam forensis voluit & tentauit habere accessum ad puerum, & cum eo committere peccatum.

catum.